



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quid excludat h[a]ec particula, Gratiſ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tia, id est, cessatio à peccatis lege prohibitis, & ab alijs peccatis, quibus natura nostra est oppressa: & si ab illis cessare non possumus in hac vita, studendum tamen est, ne regnent, Roman. 6. & quotidie orandum, ut dimittantur nobis debita nostra, Matt. 6. Deindè exigitur Fides, id est, vera cordis fiducia & optatio, ut Deus pater exhibeat ex misericordia beneficia Christi, & non dubitare quin ita accipiat, ut credit certissimè sibi contingi. Nam Fides apprehendit Christum, quæ etiam illi communicat bona Christi. Sic iubet Christus prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, Lucae ultimo. Et Marci 1. inquit: Pœnitentini, & credite Euangelio. Et sic Christus causa est iustificationis: Pœnitentia & fides sunt media, per quæ accipio & apprehendo, & particeps efficior in Sacramentis bonorum Christi: & ne dubitem de hoc, ipsa Sacramenta, sigilla & testes sunt, atque me certificant. Particula igitur, Gratis, non excludit Fidem & pœnitentiam præcedentem iustificationem, neq; sequentem iustificationem legis obedientiam: immò hæc maximè exiguntur, tum ad accipiendam, tum ad retinendam iustificationem: sed causam beneficij, id est, iustificationis & salutis adimittit nostre dignitati operum, & transfert in Christum: & hoc idè, ut beneficium sit certum, Roman. 4. Illam enim certitudinem ademit nostris operibus Christus, quando dixit Lucae 17. Quando omnia feceritis, dicit, quia serui inutiles sumus. Idè non possumus nobis statuere certitudinem ex nostris operibus, sed in Christo est promissio iustificationis firma, & hanc doctrinam maximè defendit Apostolus ad Rom. & Galatas contra Iudeos, qui iustitiam tribuebant operibus legis.

Nullumne ergò est præmium nostrorum operum, quia Deus gratis iustificat & saluat? Respōdeo, maximè est præmium operum nostrorum, & in hac